DE

PVERIS GRAN

AD

ESAI. LXV,

COMMENTATV

CAROLVS FRIDERICVS

A. M. PAST. ECCLES. ET SVPERINT. I

VITEMBERGA

EXCVDIT A. C. CH

MDCCLXXXVII.

DE

RANDAEVIS

AD

LXV, XX.

MENTATVR

ICVS PFOTENHAVER

VPERINT. DIOEC. HERZBERGENSIS.

MBERGAE,

C. CHARISIVS.

CCLXXXVII.

1520
P4
87
e



Cum ſint vaticinia et carmina quaeuis, adeoque libri etiam S. Scripturae prophetici, aliis intellectu fere difficiliora; quippe et canentia de rebus futuris, quas non niſi ſubobſcure animus humanus praecipit, et verborum plerumque ſublimiorum figurarumque inuolucris tecta: tum in his praeſertim, quos dixi, propheticis Bibliorum libris locos nonnullos maioribus etiam quam caeteros premi difficultatibus conſtat. Quibus ego locis difficilioribus annumerare non dubito Eſaiae C. LXV, v. 20. vbi Deus Jehovah per prophetam ſic verba facit:

לֹא יִהְיֶה מִשָּׁם עוֹד עוּל יָמִים
וְזָקֵן אֲשֶׁר לֹא־יְמַלֵּא אֶת־יָמָיו
כִּי הַנַּעַר בֶּן־מֵאָה שָׁנָה יָמוּת
וְהַחוֹטֶא בֶּן־מֵאָה שָׁנָה יְקֻלָּל׃

Verba quidem huius dicti ſingula plana, et ſignificatio conſtans eſſe videtur; niſi quod interpretes aliqui, in eruenda totius commatis ſententia occupati, relicto vocis חַטָּא ſenſu natiuo vel frequentiori, illi non *peccatoris* hoc loco, ſed vel ex forma chaldaica *delicati* ſeu *tenelli*, vel primitiuam participii hebraici *deficientis* ſeu *aberrantis* vim ſubiectam cenſuerunt: qua de re poſthac erit plura quaedam dicendi locus. Nec receptae lectionis etiam, quae ſit alicuius momenti, varietatem codices offerunt: ac ingenioſa magis quam probabilis et aliquo fundamento nixa coniectura HOVBIGANTII *) eſt, qua verbo יְקַלֵּל ſubſtituendum יְקַבֵּר temere opinatur. Longe vero maxima in hoc tanto conſenſu planeque mirabilis deprehenditur interpretationum ſententiarumque diuerſitas, vbi vel *de orationis vniuerſae ſenſu genuino*, vel *ipſo vaticinii exitu* quaeritur et complemento. Quae doctiſſimorum virorum ſummae diſcrepantiae et haeſitationes cum difficultatem dicti iſtius prophetici ſatis arguant: operae pretium eſſe videtur, vt denuo aliquando expendatur, ita quidem vt bina iſta, quae ad intelligendum illud faciunt, capita atque momenta ſigillatim ordine pertractentur.

Ac prius quidem quod attinet, cum ad particulam quandam orationis recte intelligendam in vniuerſum praecipue opus ſit, vt quo illa nexu cum ſermone et praecedente et ſubſequente cohaereat, ſatis perſpiciatur, tum et hic illa bonae interpretationis cuiusuis regula negligenda minime videtur. Nec vero iſte nexus valde ambiguus eſt aut obſcurus. Oppido enim patet, prophetam hic ſicut alias animo proſpicere menteque praecipere tempora ſero futura, eorumque conditionis Iudaicae genti nunc triſtis et miſerae, nunc laetae rurſus

*) Not. Crit. in libros V. T. ad h. l.

et iucundae, viciſſitudinem iteratis vicibus praenuntiare. Sic a Capitis LXIV. commate 7. queritur de diuturna populi captiui, cuius quaſi perſonam induit, afflictione, qua propter vrbis templique vaſtationem nec Deus publice coli et inuocari queat. Mox capite noſtro LXV. nomine Dei ad querimoniam iſtam reſpondens, cultum, quem ipſi deſiderent, vltro ſibi, inquit, praeſtari a gentibus alienis, Iudaeos autem per contumaciam nec vocatos Deum, quem norint, velle colere, ſed eius venerationem ad idola transferre, adeoque poenas merito ſuo ſuſtinere. Neque tamen iſta de cunctis absque diſcrimine vult intellecta; quandoquidem boni etiamnum mentisque ſanioris Iſraelitae ſuperſint, quibus bene rurſus, v. 8-10. malis autem male ſit futurum, v. 11. et 12. Iam vero pergit Jehovah, per prophetam verba faciens, a v. 13. vsque ad finem Capitis, explicare latius ac per partes deſcribere felicitatem ſeruis ſuis fidelibus atque cultoribus expectandam; ea quidem adhibita orationis forma, vt fiat apoſtrophe ad Iudaeos illos malos et peruicaces, ac ſubinde, vti v. 13. 14. 19. ſtatus eorundem diuerſi comparatio ſubnectatur. Huius igitur felicitatis piorum Iudaeorum futurae, quae tam graphice pingitur, partem effecturum non minimam, ait, ſtatum Hieroſolymorum florentiſſimum; quam nimirum vrbem plenam fore gaudii atque laetitiae, v. 18. med. ad 19. med. *immunem* autem a fletu et querimonia, v. 19. fin. denique ab alius generis malo, quod v. 20. verbis ſupra deſcriptis iamque ventilandis exprimitur.

Conſtat autem haec periodus membris duobus, per accentum Athnach diſtinctis, et ſenſus contrarii: quorum membrorum prius difficultatem habet fere nullam, adeoque ab interpretibus, quantum equidem ſciam, omnibus eodem modo intelligitur. Nam licet vox יָמִים quandoque denotet

Hebraeis tempus completum, definitum, annuum: tamen significat etiam indefinite *dies*, annui temporis spatio, vel plures vel pauciores; quod exemplis confirmare superfluum foret; quarumque significationem posteriorem hoc loco vtrobique obtinere partim combinatio vocis cum praecedenti עול et יְמַלֵּא partim in membro altero *iuuenum*, *annorum*que notiones oppositae clare demonstrant. Stet igitur haec sancti vatis sententia: *Non erit ab isto inde tempore posthac nec paucorum dierum infans; nec senior morte praematura abreptus*, seu *qui non pertingat ad vitae metam ac terminum*, quem nimirum integer viribus et incorruptus animo assequi valeat.

Sed quo planiora haec priora, eo obscuriora magisque ambigua verba commatis vltima cunctis fere commentatoribus visa sunt, nec frustra sane censentur. Scilicet scrupulum mouet in primis notio חוֹטֶא peccatoris; quae quorsum huc inferatur, et qua demum ratione cum parallelismo, quem vocant, membrorum consistere possit, haud facile apparet. Inde est quod Car. Franc. Hovbigantivs, loco supra citato, lectione vulgari retenta, nullam inesse nec sententiam, nec seriem putat, cum vel maxime abhorreat a felicitate noui seculi, a propheta delineata, peccatores non modo non cito deleri, sed ad annum vsque centesimum vitam protrahere, praeterea *peccator* habeat nec simile quidquam neque contrarium cum *puero*, qui annos itidem centum sit victurus: quod idem dicendum de verbo יְקֻלָּל, quod יָמוּת debeat esse parallelum. Suadet igitur vt pro יְקֻלָּל ponatur יְקֻבַּר, ὁ חוֹטֶא vero ex dialecto chaldaica exponatur *mollis*, *tener*, *delicatus*, quo videlicet *puero* respondeat. At quis non miretur hic duplicem critici nec ferendam audaciam, quando primum deserta lectione vul-

gata

gata pro lubitu nouam substituit, nulla prorsus codicum auctoritate firmatam; deinde reiecta alterius vocabuli maxime frequentis significatione natiua ac perpetua, subiicit peregrinam nusquam in bibliis hebraicis obuiam: vnde si vel maxime innouatione esset opus, haec tamen minime omnium foret admittenda. Taceo, quod ipsa *sepulturae* notio, ad *mortem* per parallelismum relata, frigidior, gradationis expers, nec satis digna videtur styli prophetici sublimitate. Haud parum probabilior ac moderatior est sententia Duumuirorum summi nominis, et clarissimorum interpretum Doederleinii *) puta, quique ab illius stat partibus, Dathii.**) Quippe sinentes Illi vulgatam lectionem intactam, nec ad peregrinas dialectos subito confugientes, modo valde contortas putant omnes omnium interpretum huius loci explicationes, *nisi* verbi חטא significatio primaria, et quasi physica, *aberrandi* nimirum *a scopo*, substituatur, et חֹטֵא בֶּן־מֵאָה שָׁנָה exponatur per *centenario minorem*, seu ad istum vitae terminum haud pertingentem. Quamuis autem magna sint horum virorum in scientiam theologicam et hermeneuticam merita; nec minor reuerentia, illorum acumini et eruditioni a nobis etiam praestita, et praestanda: tamen persuaderi non potuimus, vt istum, quem verbis prophetae tribuunt, sensum firmum satis verumque iudicaremus. Etsi enim concedimus, significationem verbi חטא primitiuam esse, quam dicunt, ea tamen, vt in aliis vocibus pluribus accidit, sacris scriptoribus insolens est, nec nisi semel omnino, Iud. XX, 16. in coniugatione quidem Hiphil, deprehenditur. Nam ad alterum, qui citatur, locum, Prov. VIII, 36. quod attinet, ibi res est ambigua, nec repugnat admittere notionem *peccan-*

*) In notis ad Esaiam l. c. edit. ao. 1775.

**) Prophet. maior. edit. a. 1779. ad h. l.

peccandi, quam interpretes adeo plurimi retinendam censuerunt. Deinde (ne quid nunc vrgeam punctorum rationem, quodque א non in h. l. sed in praeter regulam quiescens, substantiui magis hanc vocem, a notione *aberrantis a scopo* alienori, quam participii forma induit) an hebraicae linguae genius constructionis, quae hic cernitur, formam, *aberrantis* sensu admisso, recipiat, vehementer equidem dubito: quandoquidem analogia grammatica praefixum מ post חֹטֶא siue omisso τῷ בֶּן, siue retento etiam, tum requirere potius videtur: contra vero, si *peccatorem* seu *impium* vertas, is per appositionem, quam vocant, cum בן eodem construi casu plane potest. Accedit tandem verbum יְקֻלָּל quod aptissime quidem peccatori, minus autem commode deficienti vel aberranti adiungitur.

Ac percensitis iam virorum doctorum sententiis praecipuis, quas ad explicandum sensum verborum prophetae nostri literalem propositas legimus; dubitationi autem plus minusue obnoxias iudicamus: sequitur, vt quisnam sensus magis probabilis, quibusque de caussis videatur, declaremus. Praemittere autem hunc in finem iuuabit iterum, quod superius iamiam, leuiter saltim, attigimus, scilicet prophetam hoc in capite depingere conditionem et quasi ciuitatem piorum hominum, quae maxima quidem ex parte futura sit laeta atque prosperrima, nec tamen omnis vitiosorum societatis expers, et ab omni prorsus malorum commercio separata. Quin contentio sit perpetua, a versu inde decimo tertio, proborum cum improbis, vel in medio illorum vel proxime in vicinio habitaturis; et felicitatis illorum cum statu horum infelicissimo. Istius igitur felicitatis partem non exiguam longaeuitatem, versu nostro, inquit, fore summam et florentissimam, qua non amplius

plius

plius futuri ſint ex illis, quales nunc temporis in mundo languido et corrupto, nec infantes ephemeri, acerbiſſimo funere conſumti, nec etiam ſeniores quidem et adulti, attamen ante diem iuſtoue citius obeuntes; imo cunctos, qui ſint in ſeruorum Dei piorum ac fidelium numero, v. 14. ad ſenectutem vltimam, antediluuianae aequalem, perueuturos. *Non erunt exinde*, e ciuibus nouis ac piis, *nec infantes paucis poſt natiuitatem diebus morientes, nec ſeniores et adulti iuſto citius vitam finientes.* Tum vero pergit in altero hemiſtichio vates, nomine Dei verba faciens, animo contemplari debilitatem impiorum hominum, qui non ſint de ſemine illo bono atque ſelecto; eorumque fata breuiſſimumque vitae ſpatium, quamuis ad ipſorum computum valde longum, comparatione cum illis facta, declarare. Quippe vel tunc temporis exſtituros nonnullos, qui cum ſint indolis prauioris, fide ac pietate deſtituti, nec aliorum, nec huius, quod modo dixerat, piorum priuilegii participes ſint futuri; quin ex ipſa illa vitae ſuae ad aetatem illorum breuitate pro impiis et peccatoribus agnoſcendi. Id igitur exprimit verbis commatis noſtri poſtremis, *ſenſu* videlicet non diuiſo, ſed quod probe notandum, *compoſito* accipiendis. *Puer*, inquit, *centum annos natus morietur, et tamquam peccator centum annos natus maledictus erit*, i. e. tunc moriens centenarius, aetate quidem prae illis puer; idem vero moribus impius *iure cenſebitur*. Hoc enim ſolum fere denotari putem voce יְקֻלָּל nec opus eſſe, quod Cel. CRVSIVS

in

(in Hypomnem. ad Theol. Prophet.) arbitratur, proxime caeterum ad meam ſententiam accedens, vt ad iudicium diuinum et condemnationem aeternam verbum iſtud extendatur; quando quidem res ad aeuum non iam alterum ſed praeſens pertinentes proponuntur, nec Hebraeorum eorumque linguae ingenio, nec parallelismo tandem repugnat, *maledicendi* verbum poni pro reatus culpae poenaeque agnitione ac declaratione, temporaria atque humana. Ergo ſi ad hanc normam verba noſtra germanice conuertere velis, ita fere fuerint enuntianda: *Es werden da (unter den frommen Knechten des Herrn) nicht mehr Kinder von wenig Tagen ſeyn, noch Alte ſo ihre Lebenszeit nicht ganz erfüllen: Sondern die, ſo nur hundert Iahre erreichen, werden für Knaben gerechnet, und eben dieſelben werden als Sünder verflucht werden.* Sic omnia plana, apta, ſuaque luce ſplendentia apparent, ita vt nec lectionis vulgatae aut ſignificationis vſitatioris immutatio tentanda temere, nec ad verborum tropos aut dialectos exoticas confugiendi neceſſitas vlla ſuperſit.

Reſtat vt de ipſo vaticinii exitu et complemento pauca dicamus. Eſt autem argumentum illud non parum difficile et intricatum; latiſſimeque patet, quippe non hoc ſolo verſiculo concluſum, ſed plurima cum prophetarum V. T. vaticinia, tum alia N. T. effata ſuo ambitu complectens. Scilicet frequenter illi in ſermonibus ſuis ex afflatu diuino ad aetatis

ſuae

ſuae homines ore partim prolatis, quos iam literis conſignatos in S. Bibliis tenemus, portendunt euentus futuros, inſignes maxime atque mirandos, ac tantum non vniuerſam rerum naturae conuerſionem ſecum allaturos; cuius generis eſt is, quem de longaeuitate mirabili dictum in quo nos explicando verſamur, deſignat. Concinunt cum illis N. T. ſcriptores, maxime Apocalypſeos, itidem poſteritatem nouam prorſus et portentoſam praedicentes ac praefigurantes. In his igitur praedictionibus rerumque figuris exponendis cum plurimum inter ſe diſcrepent hermeneutae, tum duae potiſſimum deprehenduntur ſententiae, longiſſime a ſe inuicem diuerſae ſibique contrariae. Quarum altera quidem eſt eorum, qui literam dictorum preſſius vrgendo concipiunt animo regnum aliquod et ciuitatem certam, noua nimirum Hieroſolyma, cuius incolae ſint futuri Chriſtiani omnium aetatum ac gentium pii ac fideles, caput autem Chriſtus ſpecie viſibili ſemet oſtendens, regemque ſe gerens, et in qua praeter ſummam fidei concordiam et felicitatem ſpiritualem, maxima quoque floruerit pax et proſperitas externa, ad quas ipſae adeo res creatae brutae et inanimatae ſuam quaſi ſymbolam ſint collaturae. Quam ſententiam, diuerſis tamen gradibus et modificationibus variis, e veteribus quidem fouerunt Chiliaſtae qui vocantur ſeu millenarii, e recentioribus autem Bengelivs maxime et Crvsivs *)

*) Sic ille in Hypomn. ad Theol. Prophet. P. III. ad h. l. inter alia: Per Hieroſolyma intelligitur *tum myſtice* eccleſia Chriſti, quia in Hiervſolymis

quique partes illorum sequuntur; neque potest negari, literam S. scriptorum passim obuiam speciem illi veritatis haud exiguam conciliare. At enim ex altera parte plurima obstant, olim iam partim ab ORIGENE, ac deinceps aliis interpretibus exposita, cur sensum istum, quem litera verborumque proprietas infert, per omnia saltem sectari, admodum incertum ac dubium habeamus; quibus latius explicandis, breuitatis studio compulsi, quodque minus illud ad rem propositam pertinet, hoc quidem tempore supersedemus. Ab istis autem plurimum differunt alii, iique non minimae laudis et eruditionis viri, qui et hoc nostrum, et caetera generis eiusdem vaticinia V. T. cuncta, vel cum Hugone GROTIO, et nostrae quibusdam aetatis hermeneutis, de solis Iudaeis, eorumque partis alicuius quamuis exiguae, e captiuitate Babylonica reditu, per tropos, figuras et imagines more poëtico depicto et exaggerato; vel in vniuersum saltem de N. T. temporibus et oeconomia volunt intellecta. Quae quidem sententiae cum minus priori habere videantur incommodi ac difficultatis, tum vero quo

rosolymis, tamquam matre omnium ecclesiarum, et quae olim typice sancta Dei sedes fuit, mystice censetur tota ecclesia, cf. 1 Tim. III, 15. Ies. II, 2. LIV, 1. *tum proprie* urbs Hierosolyma, quatenus aliquando illa restituetur, Luc. XXI, 24. Apoc. XI, 1-13. et restituta de evangelio late propagando et de puritate eius conseruanda optime merebitur, Rom. XI, 12. tum simul includitur suprema illa coelestis, cuius vmbra et imago fuit vrbs sancta &c.

quo minus eas *totas* amplectamur, prohibet partim verborum emphasis, hyperbolarum sic admittendarum excessus, et orationis propheticae grauitas longe maior, quam quae vel in Iudaeorum post reditum e Babylone statum, valde profecto humilem et afflictum, vel in fortunam reipublicae adeo christianae, qualis huc vsque saltem ea contigit, satis conueniat. Quippe constat historia teste, numerum Iudaeorum oppido paruum, si ad captorum et abductorum multitudinem conferas, ex vtraque captiuitate domum fuisse reduces; eosque ipsos non florentes opibus, nec pace aut securitate *tranquilla* beatos, sed egenos admodum, inuidis et infestis hominibus vndique cinctos, bellis fere continuis vexatos et ab *hostibus* potentissimis oppressos, duce firmo satis ac valido destitutos; tandem penitus euulsos suis sedibus atque dispersos: ita vt quo pacto magnifica illa prophetarum promissa picturaeque splendidissimae ad istam Iudaeorum tenuitatem et obscuritatem accommodari vlla veritatis specie possint, plane non appareat. Simili fere modo sese res habet, quantum ad statum splendoremque Ecclesiae N. T. attinet. Quamquam enim Iudaeorum atque gentilium in eundem coetum et vnum quasi corpus per communis fidei ac religionis vinculum consociatio, tum vero propagatio illius lata satis et repentina, denique confessorum eiusdem prosperitas externa, passim subinde conspicua, iunctim sumta imaginem efficiunt non prorsus absimilem eius, quae a priscis vatibus adeo concinne de-

 signa-

ſignatur: attamen ſi auguria iſta prophetica ſigillatim accuratius perpendamus, ea videri fatis Eccleſiae, quae ad hoc vsque tempus illi contigerunt, longe ſplendidiora, negari vix poterit. Vbi enim v. c. inſignis illa Chriſtianorum prae aliis hominibus laetitia et hilaritas? quando fletus omnis in ciuitate Dei et eiulatus abſentia? vbi proſperrimus ille cuncti laboris absque fructus ſperati fruſtratione vlla, ſucceſſus? vbi beſtiarum ferarum et manſuetarum in vno eodemque paſcuo ſine laeſione vlla concors et placidus conuictus? vbi tandem pueri illi grandaeui, ſenes vigentes et integris viribus, longiſſimam etiam tum annorum ſeriem fauſtiſſimis ominibus proſpicientes? prouti iſta ſingula Eſaias in Capite noſtro perſequitur ordine, ſeruisque Dei clariſſimis verbis pollicetur. Imo ſi teſti credimus hiſtoriae, quae fata ac viciſſitudines chriſtiani coetus inde a primis eius initiis literarum monimentis conſignatas tradit, acciderunt illi alia omnia hodieque contingunt. Non defuerunt vnquam nec mala et calamitates externae varii generis, quibus Chriſti diſcipuli prae caeteris etiam fuere afflicti; nec lites, diſſenſiones et bella inteſtina, quibus ipſi ſeſe omni tempore lacerarunt: tantum abeſt vt rerum naturam de ſuo ordine et curſu ſemel conſtituto quidquam immutaſſe videamus.

Quae

Quae cum ita ſint, media vel hic incedere via tutiſſimum, nec abs re eſſe videtur, ſpe animoque praecipere tempus aliquod orbi chriſtiano inſtans, cuius momentum exacte quidem definiri nequeat, attamen ſenſim appropinquans, et ante extremam illam, quam ſacrae literae portendunt, mundi conflagrationem expectandum. Etſi vero tunc neque praeſentiam et gubernationem quandam Chriſti regis in oculos mortalium incurrentem, nec Iudaicae gentis vniuerſae ad religionis et ſocietatis Chriſtianae acceſſionem, nec omnium tandem, quae de ſeruorum Dei felicitate, mirabili prorſus et praeternaturali, praedicta leguntur, ad verbum καὶ κατὰ πόδα euentum ſuſpicamur: tamen contingent illa fortaſſis omnia, quaque partes ſingulas, eo quidem modo ac gradu, qui non requirat ad intelligendum hyperbolarum exceſſum adeo magnum, gradibusque felicitatis huc usque orbi Chriſtiano conceſſis longe ſuperior atque praeſtantior ſit aeſtimandus. Fiet, opinor, illius ambitus multis partibus latior quam nunc eſt, plurimis cum Iudaeis tum gentilibus paullatim coetui Chriſtiano adiungendis; conſopientur ſenſim iurgia domeſtica prorſus infauſta, vna cum bellis extrinſecus adhuc imminentibus; fidei contra animorumque conſenſus amabilis inter eiusdem regni ciues et haeredes, quin et ipſos ciuitatis Chriſtianae hoſtes, conciliabitur. Accedet vitae morumque caſtitas et honeſtas multo praeclarior, puritati vi-

tae

tae doctrinaeque Iesu Christi
quam et nexu naturali, et
peculiari, comitabuntur externa
scilicet ac valetudinis firmitas
tae maxima, pacis diuturnitas
animi et corporis, affluentia
tioris indaginis, et inuestigat
nobis pro instituti ratione suf
pita, praestantissimamque pu
leuiter adumbrasse.



Christi respondens atque simillima:
ali, et procuratione summi numinis
ur externa commoda permulta, virium
firmitas et constantia, longaeuitas vi-
iuturnitas, bonorum varii generis, et
ffluentia perennis. Sed sunt haec al-
inuestigationem desiderunt singularem:
tione sufficiat hic attigisse summa ca-
nque pulcherrimae imaginis formam

